

apostolicis in festo sancti Galli<sup>a</sup>) proxime future celebranda in loco in eisdem nominato ordinata est. Quamquam ego propter nimiam occupationem circa alia vestras paternitates personaliter visitare pro presenti non valeam, vos litteras gratanter nichilominus sicut alie universitates acceptare et mittere magistros theologie et doctores valentes  
 5 vestros ad eandem velitis, ut illa pia opera per medium bonorum hominum expediantur que iam sanctissima sunt per sanctissimum in Christo patrem et dominum, dominum Eugenium divina providencia papam quartum et Romanum regem atque imperii electores, quorum unus vester princeps existit et huiusmodi ordinari cooperatus est. Vos ergo ut Christi fideles subditi ad ea perficienda festinate et mercedem dei, pape, regis,  
 10 electorum et tocius christianitatis mercedem, retribucionem et laudem recipietis. Ex Halla XIII. septembris. Raptim quare ignoscite rogamini suppliciter.

Vestrarum dignitatum humillime. S. in litteris nominatis.

## 27.

*Bischof Johann IV. von Meißen schenkt sein der Capelle U. L. Frauen gegenüber gelegenes Haus  
 15 in Leipzig den Collegiaten U. L. Frauen. Stolpen, 1440 Apr. 1.*

*Hdschr.: Or. Perg. Archiv des Frauencollegs I, 3 mit dem Siegel an Pergamentstreif.*

*Gedr.: Collegium beat. Marie virgin. (der Zusammenhang des Collegium beat. Marie virgin. mit den Anfängen der Universität) 37.*

Iohannes dei gracia episcopus Misnensis tenore presencium recognoscimus  
 20 publice profitentes | nos domum acialem quondam habitacionis nostre, dum in minoribus essemus, in | opido Lypzensi Merseburgensis dyoceseos, ex opposito capelle beate Marie virginis, a provido | Petro Schabenkese pro certa pecuniarum summa legitime comparatam, pro collegio beate Marie virginis vulgariter nuncupato ac venerabilibus preposito, magistris et collegiatis ibidem presidentibus in perpetua tempora de certa  
 25 sciencia, consensu expresso et libera voluntate illustrium principum dominorum Friderici et Guilhelmi lantgraviorum Thuringie et marchionum Misnie dedisse, donasse et assignasse. In robur eciam maioremque firmitatem tenore presencium eandem domum sic per nos comparatam pro collegio beate Marie virginis in universitate predicta Lypzensi damus, donamus et assignamus, omni iure nostro habito seu habendo perpetuo renun-  
 30 ciantes, volentes donacionem et assignacionem predictas modo meliori, quo fieri potest, esse valituras. Datum in castro nostro episcopali Stolpin anno domini M° cccc° xl° die prima mensis aprilis, nostro sigillo subappenso.

26. a) 16. October. Es ist hierunter der Nürnberger Fürstentag im Jahre 1438 gemeint. S. Hefele, Conciliengeschichte 7, 773.